

quidem numeris omnibus videbantur naturam similem habere, numeri vero universa natura primi, numerorum elementa entium omnium elementa esse putarunt<sup>vii</sup>. Et quaecunque habebant et universon coelum harmoniam esse et numerorum conformia demonstrare, in numeris et  
 5 harmoniis ad coeli passiones et partes et ad universi conformationem colligentes haec accomodabant. Et si qua in re alicubi deficiebant, multum gliscebant, ut consonum sibi totum opus esse. Aio autem, veluti cum perfecta decas esse videatur et omnem numerum naturam comprehendisse, lata quoque in coelo decem esse dixerunt, cum tamen no-  
 10 vem tantum sint apparentia ac propterea decimam antichthona faciunt: determinatum vero a nobis in aliis est de his exactius.

Ex quo loco multa habemus, sed illud praecipuum, quod demonstrare assumpseramus. Pythagoreos scilicet numerorum similitudines (ὁμοιώματα vocat ipse) rebus accommodasse, ita ut  
 15 aliam similitudinem iustitiam, aliam [309] animam, aliam mentem, aliam occasionem.

Quam rem ipsam iterum capite 7. confirmat his verbis:<sup>10</sup> Numerum quidem alium nullum esse praeter eum ex quo constat mundus. Quando enim in hac parte opinio et occasio ipsis fuerit, parum  
 20 vero superius vel inferius iniustitia et secretio vel mixtio. In quibus eadem ratione videntur alium atque alium numerum ex similitudine vocasse opinionem, occasionem, iniustitiam, secretionem et mixtionem. Et libro 5. capite 4:<sup>11</sup> Pythagorei antea de quibusdam paucis, quorum rationes in numeros inferebant, veluti quid est occasio  
 25 vel iustum vel nuptiae.

<sup>10</sup> Ἀριθμὸν δ' ἄλλον μηδένα εἶναι παρὰ τὸν ἀριθμὸν τοῦτον, ἐξ οὗ συνέστηκεν ὁ κόσμος. ὅταν γὰρ ἐν ταυτὶ μὲν τῷ μέρει δόξα καὶ καιρὸς αὐτοῖς ἦ, μικρὸν δὲ ἄνωθεν ἢ κάτωθεν ἀδικία καὶ κρίσις [διάκρισις] ἢ μίξις. [ARIST. Metaph.990a.21 – 24]

<sup>11</sup> οἱ δὲ Πυθαγόρειοι πρότερον περὶ τινῶν ὀλίγων, ὧν τοὺς λόγους εἰς τοὺς ἀριθμοὺς ἀνήπτων, οἷον τί ἐστι καιρὸς ἢ τὸ δίκαιον ἢ γάμος. [ARIST. Metaph. 1078b.21 – 23]

<sup>vii</sup> U grčkom citatu, bilj. br. 9, neke su riječi ispremiješane. Riječi: καὶ ὅσα εἶχον koje u navodu dolaze iza riječi ὑπέλαβον treba premjestiti iza riječi ἀριθμὸν {καὶ ὅσα εἶχον}, a riječ {δεικνύναι} je Petrićev termin koji bi trebao stajati umjesto nepostojećeg [εἶναι] iza riječi ὑπέλαβον.